Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift



precipites ducunt. et deserta a deo corda eorum sibi uendi
cant et subdunt. audent uero non audenda. quando eos qui in
spirituali conuersatione. in uirtutum perfectu laudabiliter processe
runt. duris temptationum stimulis impugnare et sup
plantare audacter festinant. Itaque sicut per semetipsam ueri
tas a falsis prophetis attendere et cauere nos dignanter edo
cuit. sic quoque manifestioribus uerbis Salemon idem commen
dat ubi ait. Omni custodia serua cor tuum. quo ex ip
so uita procedit. Decet enim ut qui corde et animo ad perpe
tue beatitudinis mansionem festinant. omni custodia
cordis intima quantum preualent studeant custodire. et
spiritualibus illis neqciis quos nulla carnis infirmitas. nul
la necessitas aliquando impedit uel retardat uigilanter re
sistere. Assunt dormientibus. non desunt surgentibus. preue
niunt nos in oratione. uigilare cupientes. et sub uela
mine pietatis talia promittunt et immittunt. quae primo
dum deo inspirante cognita. non ad ad gaudium sed ad
dolorem et luctum trahunt. Quod qui obseruare neglexerit.
et non a falsis prophetis istis attenderit. manet in morte. qui
uero contra insidias eorum cor firmum et premunitum habue
rit. uitam eternam hereditabit. Unde ad eorum maliciam ma
nifestius cognoscenda et cauenda dominus subiungit et ait.
A fructibus eorum cognoscetis eos. Et qui sint fructus eorum. statim
insinuat dicens. Nunquid colligunt de spinis uuas. aut
de tribulis ficus. fructus eorum fructus inutiles. fructus
eorum spine sunt et tribuli. Per spinas et tribulos possunt accipi
duo genera temptationum. quibus spirituales homines anti
quus hostis maxime solet impugnare. per spinam
inquam quae fortis est et dura. pungit. lacerat et cruentat.
auariciam. per tribulum. qui quidem mollis est attactu. sed